INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCLXXXXIV

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. HUGONIS WEISS** COMMENTATIO:

De concordantia Assyriologiae cum S. Scriptura.

BRUNSBERGAE, 1894.

TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. JULIUS MARQUARDT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

De concordantia Assyriologiae cum S. Scriptura.

Paucos ante annos die natali Serenissimi ac Potentissimi Imperatoris et Regis nostri Guilelmi II. munere oratoris fungens quum de studiis aequalium nostrorum Assyriacis et Babylonicis tum de ratione, quae Assyriologiam inter et S. Scripturam intercedit, verba feci, cujus orationis paullo tantum mutatae summam ac caput hoc quoque loco vobis, commilitones, proponere mihi liceat. Vix enim quisquam dubitare potest, quin literarum sacrarum studiosi et imprimis interpretes S. Scripturae totum animum attendere debeant ad ea studia, quae nostris temporibus permulti viri doctissimi in perscrutanda historia veterum Assyriorum collocant. Haud paucis videlicet locis narrationes et vaticinia Veteris Testamenti cum historia illa arcte cohaerent. Quis v. gr. ignorat, libros Jonae, Tobiae, Danielis, Ezechielis latius perscribere res in Assyria et Babylonia gestas? Neminique ignotum est Tiglatpilesar, Salmanassar, Asarhaddon, Nebukadnezar, regum Assyriorum et Babyloniorum in libris Veteris Testamenti compluries mentionem factam esse. Itaque non mirum erat, quod, quum ante sex vel septem decennia studia rerum orientalium inciperentur et quum regnum Assyriacum tanquam ante oculos stupentis aetatis nostrae ex cinere ac pulvere resurgeret, amici aeque atque inimici religionis a Deo revelatae continuo quaerebant, quam rationem Assyriologia haberet ad S. Scripturam. Ergo jure meritoque sperandum est, vos meam quoque hac de quaestione sententiam per multos testes nunc fultam non invito animo denuo audituros necnon accurate perpensuros esse. Antequam autem ad rem ipsam venimus, breviter enarremus oportet, quomodo perantiqua illa monumenta Assyriaca et Babylonica nuper inventa atque investigata sint.

Caput I.

Anno sexcentesimo sexto a. Chr. n. Ninive, regni Assyriaci caput et arx, cujus intra muros „plus quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram et sinistram suam

(Jon. 4, 11)“ habitaverant, a Medis et Babyloniis funditus eversa est. [1]) Quae disturbatio urbis tanta cum atrocitate peracta est, ut ne nomen quidem ruinarum incolis regionis illius notum esset eo tempore, quo Xenophon, inclytus Graecorum dux, cum decem millibus militum istic castra ponebat. [2])

Non tam celeriter quam Ninive Babylon in exitium corruit. Quae urbs celeberrima quamvis identidem ab Assyriis et Persis expugnata et spoliata ceteras tamen terrarum Asiaticarum urbes usque ad finem quarti saeculi a. Chr. n. magnitudine ac pulchritudine adeo superabat, ut Alexander Magnus ibidem domum regiam aedificare et domicilium suum collocare in animo haberet. [3]) Quum vero Seleucus Nicator paullo post eadem in regione Seleuciam urbem condidisset eique multa dedisset privilegia, plurimis civibus Babylonicis commodissimum visum est pristinam patriam derelinquere et nova in colonia penates suos ponere. Unde jam Plinius affirmat, Babylonem „ad solitudinem rediisse exhaustam vicinitate Seleuciae“, [4]) et Strabo „ἐρημία, inquit, μεγάλη ἐστὶν ἡ μεγάλη πόλις.“ [5])

Atque ita eveniebant minae Nahum prophetae interitum regni Assyriorum vaticinantis hisce verbis (Nah. 2, 13; 3, 6. 7,): „Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum; et succendam usque ad fumum quadrigas tuas, et leunculos tuos comedet gladius, et exterminabo de terra praedam tuam, et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum . . . et projiciam super te abominationes, et contumeliis te afficiam et ponam te in exemplum. Et erit: omnis qui viderit te resiliet a te et dicet: Vastata est Ninive!“ Necnon exitum suum habebant haec Isaiae prophetae effata contra Babylonem (Is. 13, 19 sqq.): „Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldaeorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham. Non habitabitur usque in finem et non fundabitur usque ad generationem et generationem; nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. Sed requiescent ibi bestiae, et replebuntur domus eorum draconibus, et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi; et respondebunt ibi ululae in aedibus ejus et sirenes in delubris voluptatis.“ Cf. Jer. 51, 58.

Iam autem per viginti saecula ruinae ambarum urbium in oblivione jacuerant, quum vigesimo h. s. anno Rich, societatis Anglo-indicae minister, dum in oppido Turcico Mossul ad Tigrim sito versabatur, fortuito animum ad eos colles et situ et forma notabiles attendebat, qui contrariam fluminis ripam longe lateque complebant [6]) quorumque unus „Nebi Junus“ appellatus nomen Jonae prophetae Israelitici Ninivitas in viam poenitentiae olim deducentis in memoriam revocabat. Quid ergo? Num sub istis ruderibus ac collibus fundamenta illustrissimae Assyriorum arcis latebant? Quae conjectura mox eo firmabatur quod iis ipsis diebus nonnullae hominum et bestiarum imagines antiquissimae ibidem inveniebantur. Quo facto Rich colles illos mirabiles accuratius perscrutatus est et varias laterum vetustorum partes, testas, inscriptiones, similia hac atque illac reperta Londinum misit Museo Britannico. Una cista tres pedes longa et lata omnes reliquias Ninive urbis tunc complectebatur!

Recte tamen Karsten Niebuhr et Julius Mohl viri doctissimi eadem hora, qua cistae illius thesaurum intuebantur, judicabant, ex parvulo isto semine breve post tempus magnam arborem enascituram esse. „Ninive, inquit Niebuhr, fiet Pompeji mediae Asiae, fons uberrimus, ex quo posteri diu haurire poterunt.“ [7]) Mohl autem Bottam, physicum Francogallicum, qui ad munus consulare capessendum in Asiam profecturus erat, animi quodam fervore cohortatus est, ut reliquias arcis Ninivitarum

---

[1]) Duncker, Geschichte des Alterthums, ed. IV., II, p. 343.

[2]) Xenoph. Anabasis III, 3. 4.

[3]) Tiele, Babylonisch-Assyrische Geschichte, p. 305 sq.; Scholz, Die Keilschrift-Urkunden und die Genesis, p. 6 sq.

[4]) Plinius, Histor. VI, 122.

[5]) Strabo, Geograph. XVI, 738.

[6]) Kaulen, Assyrien und Babylonien, ed. III. p. 20 sqq.

[7]) Rhein. Museum 1829, p. 41.

majori cum studio atque assiduitate quam Rich in lucem protraheret. — Et reapse labores Bottae prospere eveniebant. Haud enim procul a collibus eousque pervestigatis et prope vicum Khorsabad palatium regis Sargon effossum est, cujus parietes imaginibus et anaglyptis ornati erant, quae res pretiosae Museo Parisiensi quod nominatur Louvre condonatae sunt.

Summam autem operam in eruendis monumentis antiquitatis Niniviticae et Babylonicae inde ab anno quadragesimo septimo h. s. navabant Henry Layard[8]), Rawlinson, alii Angli[9]), quibus contigit, ut inferiores partes duodecim domorum regiarum reperirent et patefacerent. Quae inter aedificia singularem obtinebat locum palatium permagnum Sanherib regis septuaginta conclavia continens, in quo Assurbanipal, eminentissimus rex Assyriorum, septimo saeculo a. Chr. n. bibliothecam suam i. e. decem millia tabularum fictilium inscriptionibus refertarum collocaverat. Curatores autem rerum publicarum Britannicarum omnia monumenta a viris illis doctis eruta iterum Museo Britannico impertiebant; unde brevi factum est, ut cetera Europae Musea Museum illud et multitudine et praestantia antiquitatum suarum Assyriacarum longe superaret. Jamjam enim quinque spatiosi porticus divitias istas orientales vix capiunt! Juxta portas primi porticus ab ingentibus monstris lapideis tanquam consalutati continuo ambulamur inter innumerabiles scalpturas artificiosissimas, quae nobis pugnas, obsessiones urbium, venationes, extructiones domorum, alias res ab Assyriis gestas ante oculos ponunt. Praeterea conspicamur imagines regum nuncusque ignotorum, columnas et arcas, arma et pondera, lateres et ornamenta et quaecunque arte humana formari poterant. Denique omnium Assyriologiae studiosorum delicias illic invenimus Assurbanipal regis quam modo commemoravimus bibliothecam in plus quam centum cistis caute ac diligenter impositam.[10])

Non igitur mirum erat, quod tanto thesauro congesto spes multis affulgeret, nostram tandem aetatem cogituram esse, quid ante tria millia annorum Assyrii et Babylonii senserint, egerint, locuti sint. Quae spes in dies crescere debebat praesertim quum eo ipso tempore, quo Champollion litteras hieroglyphicas veterum Aegyptiorum interpretari incipiebat, cuneatarum quoque litterarum Assyriacarum aenigma solvi coepisset. Primus enim Grotefend philologus Hannoveranus, nomina Darii, Xerxis, Hystaspis, regum Persarum, in tabulis Persepolitanis scripta et hoc modo immutata, „Darhwusch", „Khschharscha", „Vischtasp" recte legit[11]), quibus initiis rei positis Lassen, Rawlinson, Hinks, Oppert, alii in enucleandis litteris cuneatis brevi tempore tantopere proficiebant, ut jam abhinc anno 1854 lingua Assyriaca variis in grammaticis et lexicis ad praecepta ac regulas revocari posset[12]). Quapropter optimo jure affirmare nobis licet, plurimas inscriptiones cuneatas monumentorum Assyriacorum, si nonnullos locos difficiliores excipias, nostris temporibus recte intelligi ac transferri posse.

Et quid nos docent antiquissima illa monumenta? Quem fructum ex ipsorum inscriptionibus et imaginibus cum ceterarum disciplinarum cultoribus interpretes S. Scripturae percipere possunt?

Caput II.

Maximi primo momenti testimonia monumentorum Assyriacorum sine dubio sunt historicis nostris, quoniam quae Berosus, Herodotus, alii veteres scriptores de primordiis populi Assyriaci

[8]) Layard, Ninive und seine Ueberreste, ed. Meissner. Leipz. 1850.

[9]) Rawlinson, Norris and Smith, The cuneiform inscriptions of Western Asia. London 1861.

[10]) Buddensieg, Die Assyrischen Ausgrabungen und das alte Testament, p. 11.

[11]) Scholz, Die Keilschrift-Urkunden, p. 11 sqq.

[12]) Cf. Delitzsch, Assyrische Grammatik. Litteratura, p. 67 sqq.

enarrant aut fabulosa [13]) aut obscura aut certe minus contexta [14]) sunt. Nunc vero inscriptiones cuneatae manifeste testantur, antiquissimis temporibus duas gentes origine dispares Euphratis et Tigris fluminum ripas inhabitasse, gentem scilicet chamiticam et gentem semiticam. Chamitae, Sumero-Accadi cognominati, priores immigrabant et Eridu, Uru, Larsa, Uruk, Babilu, aliis urbibus Babylonicis conditis gradum satis altum cultus atque humanitatis ascendebant. [15]) Imprimis autem scientia aurum aliaque metalla arte cudendi ac formandi jam tunc florebat, necnon ars scribendi litteras cuneatas diligenter exercebatur. [16]) — Saeculo a. Chr. n. vigesimo gens quaedam semitica duce Sargon I. eandem terram ingrediebatur et paullatim sub suam redigebat potestatem. Tantum tamen aberat, ut gentis superatae proprietatem omnino exstingueret, ut ipsius artes et studia in suum usum converteret et magis magisque excoleret ac perficeret. [17]) Quare non mirandum erat, quod tanquam duobus ex fontibus profluentes artes ac litterae jam a vigesimo usque ad decimum quintum saeculum a. Chr. n. in civitate ista chamitico-semitica ad sublime fastigium perveniebant. Inde ab eodem tempore totus ille populus, quippe qui sensim quodammodo in unum corpus coalesceret [18]), nomen Assyrio-Babyloniorum sortiebatur et modo Ninive urbis modo urbis Babel principatui subjectus erat. At haec hactenus. Minime nobis difficile est inscriptionibus cuneatis adhibitis quum res populi Assyrio-Babylonici certa historia comprehendere tum ipsius primordia perscrutari, quae facta sunt mille annis ante quam heroes Trojani proelia sua proeliabantur a poetis fabulantibus illustrata vel potius ficta!

Praeter historicos Assyriologiam gratam habere debent philologi et grammatici nostri, qui usque adhuc ne id quidem pro certo affirmare ausi erant, num lingua Assyriaca linguis indogermanicis an linguis semiticis annumeranda esset. Pluribus vero monumentis enucleatis nunc non solum semiticum characterem et naturam linguae illius cognovimus, sed etiam locum accuratius circumscribere possumus, quem dialectus Assyriaca inter ceteras dialectos semiticas obtinet. Proxime enim accedit ad dialectum Hebraicam, quoniam et hic et illic adhibentur seu retinentur litterae sibilantes, status constructus, forma Niphal, aliae proprietates. [19]) Deinde notabilem ostendit cognationem cum dialecto Arabica, quacum imprimis communem habet exitum casuum. Minus arcte denique cohaeret cum dialecto Aramaica, quamquam Assyrii Aramaeis confines sunt. Profecto! Quis non gaudeat, quod Assyriologia, ut ita dicam, filium tam diu amissum i. e. linguam Ninivitarum et Babyloniorum nostris tandem temporibus recognoverit et in familiam suam reduxerit!

Attento animo effossiones in agris Assyrio-Babylonicis factas merito etiam astronomi nostri intuentur, quoniam antiquitus omnibus persuasum est, coeli dimetiendi rationem a Babyloniis ceteris

---

13) Berosi Chaldaeorum historiae quae supersunt auct. Richter, p. 48 sq. L. c. narratur, Babylonios in artibus et litteris olim eruditos esse a mirabili illo Oanne, maris Erythraei inhabitatore, cujus corpus ex corpore humano et pisce compositum fuerit.

14) Herod. I, 177 sqq.

15) Hommel, Die vorsemitischen Kulturen in Aegypten und Babylonien, p. 71 sqq.; 195 sqq.; 246 sqq.

16) Zschokke, Ueber die Wichtigkeit der Assyriologischen Forschungen. Inaugurationsrede 1884, p. 38 sq.

17) Gens semitica Babyloniam ingressa eodem modo in priores incolas se gerebat, quo HYKSOS i. e. „reges pastores“ (Joseph., Contra Apion. I, 14) eo ipso tempore Aegyptios devictos tractabant. Nam isti quoque reges semitici minime totam Aegyptum devastabant, urbes templaque deorum incendebant, alia facinora crudelissima a Manethone enumerata (Joseph., Contra Apion. l. c.) committebant, sed potius omnium fere artium et disciplinarum quibus antea Aegyptus floruerat cultum perpetuo fovebant atque adjuvabant. Cf. Ebers, Aegypten und die Bücher Mose's I, p. 220.

18) Cf. Brugsch, Steininschrift und Bibelwort, p. 57 sq. In sepulcris Aegyptiacis complures legati Assyrio-Babylonici Pharaoni tributum conferentes depicti sunt, quorum alii rubram alii flavam cutem habent. Ille color manifestat originem chamiticam, hic semiticam.

19) Sayce, An Assyrian Grammar for comparative purposes, p. 1 sq.

gentibus traditam esse.[20]) Quamquam autem perpaucae tabulae et testae res astronomicas continentes adhuc repertae et recte explicatae sunt, satis tamen constat, Babylonios jam antiquissimis temporibus astronomiae seu potius astrologiae se dedisse et abhinc octavo vel septimo saeculo a. Chr. n. nullo temporis puncto intermisso motus stellarum observasse.[21]) Jam tunc v. gr. duodecim signa Zodiaci nota erant, dies hebdomadis secundum planetas nominabantur, defectiones solis et lunae ad calculos vocabantur.[22])

Ad hoc memoratu dignum esse videtur, Graecos veteres in exercendis artibus suis, imprimis quod ad architecturam et plasticen attinet, non tam Aegyptios quam Assyrios habuisse magistros. Aegyptiaca enim artificia idealismum quendam sapiunt, Graecorum vero artifices aeque atque Assyriorum ex rebus veris exempla sua sumere et naturae convenienter exprimere atque imitari soliti erant.[23]) Ergo artium judices nostri, ne de Graecorum monumentis perperam judicent, studio operum atque artificiorum Assyriacorum antea se tradant, necesse est.

Caput III.

Utilitatem autem multo majorem quam ceterae disciplinae ex Assyriologia interpretatio S. Scripturae percipit. Et jam hoc loco facere non possumus, quin divinam providentiam celebremus, quae nostris ipsis temporibus, quibus S. Scripturae et doctrinae et narrationes a permultis hominibus acriter impugnantur, veteres Assyrios tanquam e sepulcris suscitavit ad auctoritatem librorum sacrorum defendendam! Nec mirum. Omnium enim studiorum humanorum religiose ac diligenter cultorum exitus et finis veritati a Deo revelatae non obstat sed prodest ac suffragatur. „Ia, inquit Hettinger, es ist etwas Grosses um unsere (die theologische) Wissenschaft. . . . In ihr begegnen sich die letzten Ergebnisse aller Forschung, für sie, zur Bestätigung ihrer Lehren und zur nähern Beleuchtung und Begründung ihres Inhaltes arbeiten alle, die ihr Leben in den Dienst der Wissenschaft gestellt haben. Viele sind es, die solches erkennen, aber noch viel grösser ist die Anzahl jener, die es nicht wissen und wollen; und dennoch arbeiten sie für uns, weil sie im Dienste der Wahrheit stehen; die Wahrheit aber gehört nicht ihnen, sie steht über ihnen: die Wahrheit ist Gottes. — Die Natur ausser uns, der Geist in uns, die Offenbarung über uns, die Geschichte vor uns, das sind die vier Ströme, die gleich jenen des Paradieses das Gebiet des Geistes befruchten, aus denen der Mensch Erkenntniss schöpft. Sie alle gehen aber aus von einer gemeinsamen Quelle, Gott.“ [24])

1. Ex monumentis Assyriacis S. Scripturam illustrantibus primo hic annumerandae sunt tabulae a Georgio Smith nuper repertae, in quibus antiquissima historia mundi et generis humani describitur. Contigit enim doctissimo illi Musei Britannici administratori, ut duobus itineribus in Assyriam factis ex multis fragmentis huc illuc dispersis nonnullas tabulas componeret, quarum aliae revelationem de creatione mundi, aliae memoriam inundationis terrarum, aliae alias narrationes cum Geneseos narrationibus quodammodo cohaerentes complectuntur.[25])

---

[20]) Herod. II, 109. Cf. Cic. de divin. I, 1: „Principio Assyrii propter planitiem magnitudinemque regionum quas incolebant, quum coelum ex omni parte patens et apertum intuerentur, trajectiones motusque stellarum observaverunt.“

[21]) Strassmaier - Epping, Astronomisches aus Babylon, p. 5.

[22]) Zschokke, Assyriologische Forschungen, p. 50 sq.

[23]) Oppert, Grundzüge der Assyrischen Kunst, p. 31. Fäh, Grundriss der Geschichte der bildenden Künste, p. 46, 105.

[24]) Hettinger, Timotheus. Briefe an einen jungen Theologen, p. 31.

[25]) Smith, Chaldaeische Genesis ed. Delitzsch, p. 17 sq.

a. Descriptio primordiorum mundi in tabula multifariam fracta ab his fere verbis incipit:

Quum insuper coeli nondum conditi essent,
Priusquam in terra plantae progerminarent
Et maris vortices extra cancellos suos egressi essent,
Mummu: Tiamat puerpera erat omnium rerum.
Aquae istae ab initio ordinatae
Et dii majores creati sunt,
Lachmu et Lachamu, Ṡar et Kisar dii creati sunt
Series dierum, longum tempus praeteriit
Anu deus, Sar deus et . . .

Desunt cetera. Quis autem nón videt, inscriptionem propositam respondere his Geneseos verbis: „In principio creavit Deus coelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas", quod graviter et simpliciter dictum principales generis humani traditiones de creatione mundi manifeste enarrat ideoque aliquantum discrepat cum traditione Assyriaca, quippe quae relationem suam nebulis polytheismi velaverit. Attamen haec quoque traditio mundum initio inordinatam atque indigestam molem fuisse cum S. Scriptura edocet, immo molem istam *Mummu-Tiamat* appellat, quae vocabula cum *Majim* i. e. aquae et *Tehom* i. e. abyssus maris, vocibus Hebraicis, etymologice congruunt [26]) — Praeterea quinta in tabula Assyriaca ad creationem spectante indicatur, sidera in coelo posita esse „ad dispertiendum annum a die quo incipiat annus usque ad ejus finem", [27]) id quod in memoriam nobis vocat Geneseos illud: „Fiant luminaria in firmamento coeli et dividant diem ac noctem et sint in signa et tempora et dies et annos" (Gen. 1, 14). Ceteris similitudinibus, quae inter utramque traditionem intercedunt neglectis hoc unum tantum hic annotare juvat, quod complures tabulae Assyriacae pulchritudinem ac dignitatem creaturarum saepius proclamant, qua cum glorificatione septies dictum illud: „Et vidit Deus, quod esset bonum" optime concordat (Gen. 1, 4. 10. 12. 18. 21. 25. 31). Atque ita non dubium est, quin Assyrii et Hebraei communi ex fonte i. e. ex revelatione divina abavis generis humani olim impertita notionem creationis mundi hauserint, illo tantum discrimine postea interposito, ut thesaurum istum spiritalem populus a Deo electus in S. Scriptura intactum servaverit, Assyrii vero impuris additamentis contaminaverint.

b. Inundationis terrarum mentio fit in vetustissimo Assyriorum poemate [28]), quo facinora *Izdubar* herois inclyti celebrantur. Qui bellator et venator fortissimus, ab investigatoribus quibusdam antiquitatis Assyriacae *Namrutu* appellatus (Cf. *Nimrod* in Gen. 10, 8 sqq.), compluribus regibus devictis magnum regnum a sinu Persico usque ad montes Armeniae extensum constituisse dicitur. Quum vero Istar, deam amoris Assyriacam, in matrimonium ducere recusasset, gravi morbo implicatus seu potius a dea repudiata castigatus per orbem terrarum, ut medicinam quaereret, vagatus est. Nec spes eum fefellit. Hasisadra enim, avus ipsius clarissimus, qui propter pietatem suam in sedem et locum deorum sublimis abierat, aegrotum heroem sanum fecit et hac occasione data vitam suam enarravit, in qua id maximi momenti erat, quod una cum familia sua ex horribili inundatione terrarum servatus erat. Istam autem propter sortem suam Hasisadra ab omnibus fere Assyriologis nostris Noae

---

26) **Scholz, Keilschrifturkunden, p. 50.**
27) **Smith, l. c. p. 68.**
28) **Smith, l. c. p. 27 et 144,** carmen quod supra commemoravimus heroicum arbitratur compositum esse vigesimo saeculo a Chr. n. sive, ut aliis verbis utar, quinque vel sex saecula antequam Moses Pentateuchum conscripsit.

patriarchae merito par ponitur;[29]) et permagna sane est similitudo inter S. Scripturae et monumentorum Assyriacorum hac de re relationes.[30]) Et hic et illic inundationis causa est hominum impietas. Et hic et illic perpauci homines cum multitudine animalium ingrediuntur in arcam ab ipso patre familias exstructam. Uterque patriarcha ad terram exsiccatam cognoscendam de arca seu navi aves dimittit, diluvio defluxo sacrificium facit, alia. — Minime quidem negandum est, quin Hebraeorum et Assyriorum de inundatione illa traditiones passim minus inter se congruant. V. gr. Hasisadrae navis non erat trecentos cubitos longa, quinquaginta cubitos lata, triginta alta (Gen. 6, 15), sed sexcentos cubitos longa et sexaginta lata et alta. Tum aquae diluvii secundum S. Scripturam terram diutius complebant (Gen. 7, 12. 17. 24; 8, 5 sqq.) quam secundum traditionem Assyriacam. Ad haec Hasisadra ex arca secundo non columbam (Gen. 8, 10 sq.) sed hirundinem dimisit. At istac aliaeque ejusmodi dissimilitudines, accuratius si rem ponderamus, memoratu vix dignae sunt, et majoris momenti discrimina, v. gr. quod complures dii Assyriaci gravi hominum poena perterriti in altissimum coelum fugisse dicuntur, vel quod Ilu, summus Assyriorum deus, de poena diluvii ab ipso statuta cum ceteris diis et spiritibus vehementer rixatus est, similia facile repetenda sunt ex stulto deorum commenticiorum cultu, cui Assyrii per saecula magis magisque se dederant. Itaque ea quae supra demonstravimus hoc quoque loco probantur: ambarum gentium de primordiis mundi et generis humani traditiones puro ex fonte ortae apud Hebraeos semper incorruptae manserunt, ab Assyriis vero paullatim deformatae sunt.

Ceterum chaldaicum illud poema de diluvio etiam ea de causa maximi ponderis est, quod nonnulli ipsius versus indirecte testantur, Mosen fuisse scriptorem quum Pentateuchi tum priorum Geneseos capitum. Nostris quidem temporibus haud pauci S. Scripturae interpretes opinantur, libros Mosaicos, variis ex fragmentis inepte compositos, quinto demum vel quarto saeculo a. Chr. n. ab editore quodam emissos esse.[31]) Imprimis autem Geneseos de diluvio relationem critici isti duobus vel tribus recentioribus auctoribus inter se discrepantibus („Elohistae", „Jahvistae", aliis) adscribunt.[32]) Quas contra audaces conjecturas vetustissimum de inundatione poema Assyriacum manifesto testatur, singulas partes traditionis illius eodem ordine jam antiquitus inter se connexas fuisse, quo in Genesi conjunguntur. V. gr. Gen. 7, 1—5 („fragmentum jahvisticum") juxta Gen. 6, 13—22 („fragmentum elohisticum"), vel capitis 8 versus 16 („fragmentum jahvisticum") juxta versus antecedentes („fragmentum elohisticum") etiam in poemate Assyriaco inveniuntur eodem servato connexu (Cf. Tab. XI, col. 1, 22—40 et col. 2, 31 sq.; — col. 2, 37 et 2, 25—29).[33]) Unde sine ullo dubio sequitur, ut non compluribus posterioris temporis scriptoribus varia fragmenta seu litteras inscite permiscentibus sed soli Mosi, legislatori circumspecto, libri sub ipsius nomine pervulgati revera adscribendi sint vel adscribi possint.

2. Sicut principalis historia generis humani in S. Scriptura conscripta testimonis monumentorum Assyriacorum confirmatur, ita etiam historia patriarcharum litteris Ninivitarum et Babyloniorum illustratur et comprobatur. Quod eo majorem laetitiae causam nobis exhibet, quo gravior impetus in historiam illam nuperrime factus est. Postquam enim jam prioribus h. s. decenniis Ewald, Ebers,

---

[29]) Historicis non ignota est Berosi presbyteri Chaldaici narratio de vasta inundatione tempore Xisuthri regis facta, quod regis nomen cum voce Hasisadra non multum discrepat. Cf. Berosus, l. c. p. 56 sq.

[30]) Haupt, Der Keilinschriftliche Sintfluthbericht, p. 18 sqq.

[31]) Reuss, Die Geschichte der heiligen Schriften Alten Testaments § 388. Cf. Kaulen, Einleitung in die hl. Schrift, § 199.

[32]) Wellhausen, Die Composition des Hexateuchs, p. 2 sq.; 12 sq.; Reuss, l. c. § 217.

[33]) Bickell, Zeitschrift für kath. Theologie, 1877, p. 123 sqq.

alii[34]) has et illas res a patriarchis gestas in dubium vocarunt seu denegarunt, nunc Maurice Vernes, „director adjunctus“ Universitatis Parisiensis, asseverat, nullos omnino fuisse patriarchas, sed omnes S. Scripturae narrationes de personis et rebus tempora Sauli regis antecedentibus mere fictas esse.[35]) At ii ipsi censores et critici Germanici, qui de S. Scripturae compositione libere sentire solent, de istis somniis conjectoris Francogallici serio disputare merito dubitant,[36]) quibus nostratibus doctis assentientes nos quoque arbitramur, libellum „directoris“ illius temerarie conscriptum Universitatem Parisiensem olim celeberrimam minime novis decorasse honoribus. Si enim Vernes sola monumenta Assyriaca in Museo Parisiensi accumulata (cf. supra p. 5) acri animo saepius contemplatus esset, brevi intelligere debuisset, vitam ac fortunam nullius auctoris gentis litteris eodem tempore quo vixit ortis tam lucide collustrari ac depingi, quam vitam Abrahae patriarchae.

a. Imprimis inter omnes linguarum semiticarum perscrutatores constat, Abraham cum familia sua ex *Ur Casdim* i. e. *Mughair* in Babylonia meridionali sita[37]) in Palaestinam emigrasse (Gen. 11, 31; 12, 1 sqq.). Nam patriarcha documentum quoddam, quo patria ipsius omnibus aperte indicatur, in novum domicilium secum tulit posterisque hereditate reliquit, linguam dico Hebraicam, quae non tam cum finitima lingua Aramaica, quam cum dialecto Assyrio - Babylonica etymologice et grammatice cohaeret (cf. supra p. 6) atque ideo pristinam patriarcharum patriam ad ripas Euphratis sitam tanquam digito monstrat. — Nomen patriarchae apud Assyrios quoque in usu erat sub forma *Ab - ram* sive *Abu - ramu* i. e. pater excelsus. Regnante enim Asarhaddone annus sexcentesimus septuagesimus septimus a. Chr. n. ab Abu - ramu, eponymo Assyriaco, nomen accepit.[38]) Neque solum vocabulum *ab* i. e. pater, sed etiam aliae permultae voces, quae propinquam cognationem significant, et in Hebraica et in Assyriaca lingua fere immutatae inveniuntur.

V. gr. Hebr.	*em*	(mater)	est	Assyr.	*ummu*,
„	*ach*	(frater)	„	„	*achu*,
„	*ben*	(filius)	„	„	*bunu*,
„	*bat*	(filia)	„	„	*bintu*.

Etiam illae res, quae quotidie usurpantur utraque in lingua eadem fere voce notantur.

V. gr. Hebr.	*rosch*	(caput)	est	Assyr.	*risu*,
„	*jad*	(manus)	„	„	*idu*,
„	*laschon*	(lingua)	„	„	*lisanu*,
„	*esch*	(ignis)	„	„	*isu*,
„	*majim*	(aqua)	„	„	*mii*,
„	*barsel*	(ferrum)	„	„	*parzil*,
„	*gamal*	(camelus)	„	„	*gamal*,
„	*sus*	(equus)	„	„	*susu*.

Non silentio praetereundum est, Deum quoque et hominem in Assyria et in Palaestina simili vocabulo nominatos fuisse: Hebr. *el* et *adam* erant Assyr. *ilu* et *dadmi*. Optime autem ambarum linguarum notabilis cognatio ex eo colligenda est, quod complures linguae Hebraicae Idiotismi, qui hucusque explicari non potuerunt, per linguam Assyriacam nunc facile enucleantur. V. gr. unde vox *aschte*, quae in nomine numerali *aschte asar* i. e. undecim occurrit, derivanda esset, omnino ignotum

---

34) Ewald, Geschichte des Volkes Israel I, p. 339 sqq.; Ebers, Aegypten und die Bücher Mose's I, p. 253 sq.
35) M. Vernes, Les resultats de l'exégèse biblique. Paris 1890.
36) Literarisches Centralblatt ed. Zarncke 1890, No. 46.
37) Schrader, Keilinschriften und Geschichtsforschung, p. 97 sq.
38) Vigouroux, La bible et les découvertes modernes I, p. 423 sq.

erat.[39]) Nunc demum Delitzsch demonstravit, apud Accados, antiquissimos Babyloniae incolas, nomen numerale *as-ten* i. e. unus in usu fuisse, quocum jam Abrahae temporibus *asar* i. e. decem compositum est, ita ut *asten* resp. *aschteasar* esset „decem et unus" sive undecim.[40]) Similiter *manhu*, quod erat nomen cibi illius coelestis, quo Israelitae in desertis Arabiae nutriebantur, certius nunc quam antea derivatur a pronomine interrogativo, quippe quod in lingua Assyriaca formam *mannu* et *minu* haberet,[41]) ut aliter dicam: Israelitae eo temporis vestigio, quo primo panem illum terram operientem aspiciebant, mirati exclamabant: „Quid est hoc?"[42]) non vero: „Donum est hoc!" quam ad interpretationem a plerisque eousque probatam[43]) jam verba interrogationi illi addita: „ignorabant enim, quid esset" (Exod. 16, 15) minus apte conveniunt. — Itaque quo magis in perscrutanda atque intelligenda lingua Assyrio-Babylonica progredimur, eo evidentius apparet, familiam patriarcharum Hebraicorum reapse olim ex regionibus prope Euphratem et Tigrim flumina sitis occidentem versus migrasse in terram „fluentem lacte et melle (Exod. 3, 8; 13, 5; Deut. 6, 3), — itidem ut S. Scriptura memoriae prodit.

b. Praeterea (ut ex rebus in ipsa Palaestina a primo patriarcha gestis saltem unam hic proponamus) bellum illud a quattuor regibus quibusdam Abrahae sociis illatum (Gen. 14, 1 sqq.) ex veteribus inscriptionibus Assyriacis gratam nunc accipit illustrationem. Paullo enim postquam Abraham cum gregibus suis occidentem versus Hebronem, Lot vero orientem versus Sodomam secesserunt, Kedorlaomer, rex Elamitarum, una cum tribus regibus in Pentapolim Jordanis fluminis invasisse et urbibus omnibus spoliatis Lot aliosque incolas captos secum duxisse dicitur; quo facto Abraham victores continuo persecutus est et impetu nocturno feliciter peracto captivos liberavit (Gen. l. c.). Quam quidem S. Scripturae relationem interpretes nostri per multos annos fide non dignam habuerunt propterea quod cogitari non possit, quare et quomodo rex Elamitarum ex regno suo remotissimo, in oriente regni Assyrio-Babylonici sito, usque ad Palaestinam pervenerit.[44]) At vero nunc in inscriptionibus Assyriacis reperta sunt nomina complurium regum Elamiticorum, qui et ingenio suo et opibus magnis tota in Asia occidentali excelluerunt. Ex quibus *Kudur-Nanhundi* jam ante saeculum vigesimum i. e. ante Abrahae tempora Babyloniam ditioni suae subjecisse, et *Kudur-Mabug*, *Adda-Martu* i. e. dominator terrae occidentalis cognominatus, littora maris mediterranei occupasse fertur. Apparet igitur principes Elamiticos ex domo regnatrice Kuduridorum ortos imperium suum usque ad remotissimas regiones promovisse; ideoque verisimillimum est, *Kedor* seu *Kudur-Laomer* quoque regem in S. Scriptura commemoratum contra contumaces Canaanitarum principes expeditionem suscepisse. Quae sententia eo probatur, quod Elamitae numen divinum *Lagamar* veneratione prosequebantur, quo cum nomine nomen regis illius, a LXX interpretibus *Χοδολλογομόρ* transscriptum, in secunda parte fere omnino congruit.[45]) Sequitur, ut critici nostri huic Veteris Testamenti narrationi fidem suam parum considerate denegaverint.

3. Posterioribus temporibus, quibus Israelitae cum Assyriis et Babyloniis saepius congrediebantur et signa cum ipsis conferebant, plures nimirum litterae Assyrio-Babylonicae historiam sacram Israeliticam attingentes exsistere debebant. Et reapse non solum in universum tempora illa exinde

---

39) Fürst, Hebr. und Chald. Handwörterbuch, s. h. v.

40) Delitzsch, Erläuterungen und fortgesetzte Forschungen zu Smith's Genesis, p. 277 sqq.

41) Delitzsch, Assyrische Grammatik, p. 141.

42) LXX; Vulgata; Josephus, Ant. III., 1, 10; Onkelos; alii. Cf. Reinke, Beiträge V, p. 314.

43) Kurtz, Geschichte des Alten Bundes II, p. 223; Mühlau-Volk, Hebr. und Chald. Wörterbuch, s. v. *man*.

44) Cf. Tuch, Commentar über die Genesis, p. 308; Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft, 1854, p. 800; Nöldeke, Zur Kritik des Alten Testaments, p. 156 sqq.

45) Schrader, Die Keilinschriften und das Alte Testament, ed. II., p. 136 sq. Volk, Ueber die Bedeutung der semitischen Philologie für die alttestamentliche Exegese, p. 11 sq.

fusius describuntur, sed etiam permultae singulae S. Scripturae relationes ab Assyriis abhinc saeculum nonum a. Chr. n. tanquam approbantur et explentur.[46]) Immodice autem eorum qui hanc commentationem legunt patientia abuterer, si initium capiens a foedere, quod Achab, rex Israelitarum, cum Benhadad, rege Syrorum, icebat (III. Reg. 20, 24),[47]) omnes res a regibus populi Israelitici eorumque aequalibus egregie gestas, quas et S. Scriptura et monumenta Assyriaca describunt, aliquantulum hic adumbrarem, v. gr. expeditiones a Tiglathpilesar, Salmanassar, Sargon, regibus Assyriorum, contra Damascum et Samariam identidem institutas (IV Reg. 16, 7 sqq.; 17, 1 sqq.)[48]) vel cladem Assyriorum tempore Hiskiae regis ante portas Hierosolymorum factam (IV Reg. 19, 35).[49]) Hoc unum tantum hic inquirere in animo mihi est, num natura atque indoles Assyriorum in ipsorum monumentis pariter depingantur atque in annalibus regum Hebraeorum.

Ex sententia hagiographorum Hebraicorum Assyrii eminebant bellandi cupiditate ac fortitudine, superbia ac crudelitate, ideoque idonei erant, qui poenas divinas gravissimas quum a gentibus sceleribus flagitiisque deditis tum ab Israelitis Deum verum saepe deserentibus expeterent. „Sagittae ejus", inquit propheta, „acutae et omnes arcus ejus extenti. Ungulae equorum ejus ut silex et rotae ejus quasi impetus tempestatis. Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum et frendet et tenebit praedam et amplexabitur, et non erit qui eruat . . . Virga furoris mei et baculus ipse est; in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, ut diripiat praedam et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum" (Is. 5, 28 sq.; 10, 5 sq.; cf. Nah. 2, 3; 3, 1; IV Reg. 18, 19 sqq.).

Quam imaginem Assyriorum a scriptoribus sacris omnino ad verum expressam esse, innumerabilia monumenta Assyriaca testantur. Nam haec quoque gentis suae homines monstrant corpore robusto, brevi, musculoso praeditos et vultum prae se ferentes imperiosum, severum, malitiosum.[50]) Permultae autem inscriptiones, in quibus Assyriorum victoriae et expugnationes enumerantur, luce clarius ostendunt, ipsos bellandi studio et rapinarum ac praedae cupiditate ceteras totius mediae Asiae gentes longe superasse. Volumen primum „bibliothecae Assyriacae" revolventes primo aspectu hanc invenimus inscriptionem, qua Assur-nasir-abal rex (884—861) gloriatur Pituram urbem diruisse. „Urbe", inquit „expugnata octingentorum militum capita praecisi et ex capitibus columnam composui juxta urbis portam. Magna praeda potitus sum. Septingentos viros ad palum alligatos confixi et ducentis captivis abscidi manus. Pueros et puellas igni concremavi. Ipsam urbem autem verti in rudus et agrum veteretum."[51])

Alias et prioris et posterioris temporis inscriptiones, in quibus latius perscribitur, principes captos crudelissimo cruciatu affectos esse, hoc loco praetermitto.[52]) Profecto! Non mirum erat, quod talibus hostibus urbi appropinquantibus Ezechias, rex Hierosolymorum, perterritus „scidit vestimenta sua et opertus est sacco ingressusque est domum Domini" (IV Reg. 19, 1). Qui hostes suae ipsius crudelitatis testes non refutandi veterem tantum consuetudinem tum quoque sequebantur, quum Sedeciae ultimi regis Iudaici filios ante oculos patris necabant et ipsum regem oculis deinde privatum catenisque constrictum in servitutem Babylonicam deducebant (IV Reg. 25, 7).

---

[46]) Schrader, Keilinschriften und Geschichtsforschung, p. 90.

[47]) Primus omnium regum Israeliticorum Achab in monumentis Assyriacis nominatur. Cf. Buddensieg, Assyrische Ausgrabungen, p. 54 sq.

[48]) Schrader, K. A. T., p. 193 sqq.; 264 sqq.

[49]) Sayce, Alte Denkmäler im Lichte neuer Forschungen, p. 148 sqq.

[50]) Vigouroux, l. c. IV., p. 32 sq.

[51]) Keilinschriftliche Bibliothek, ed. Schrader I., p. 91.

[52]) L. c. II., p. 57. 59. 61; Cf. Kaulen, Assyrien und Babylonien, p. 233 sqq.

4. Paullulum denique animum advertamus ad librum a Daniele propheta conscriptum, qui a multis interpretibus, quod ad partes historicas attinet, parvi diu aestimatus et ignoto auctori tempore Macchabaeorum viventi adscriptus [53]) propter monumenta quaedam Assyriaca majorem denuo auctoritatem apud contemptores suos consecutus est. „Je dois avouer", inquit Lenormant, „qu' une partie des arguments invoqués par Corrodi, Eichhorn, Jahn, Gesenius, de Wette, Lengerke, Ewald et Hitzig contre le livre de Daniel m'ont paru longtemps irréfutés. J'acceptais leur opinion et je l'ai même imprimé . . . Des raisons uniquement et exclusivement scientifiques . . . m'ont amené à changer d'opinion et à en revenir aux données de la tradition. Ma conviction nouvelle s' est formé sur l'étude des textes cuneiformes." [54])

Iam quod de Danielis educatione in palatio regio facta narratur (Dan. 1, 3 sqq.) fide omnino videtur dignum esse. Ut enim populos sub dominationem suam subjectos per aptos procuratores facilius regerent, reges Assyriorum nobiles adolescentes ex populis illis oriundos in domo regia sua educare et una cum filiis principum Assyriacorum litteris instruere solebant. Quae consuetudo eousque ex solo libro Danielis cognita inscriptionibus cuneatis nuper affirmatur. Non nescimus, bibliothecam Assurbanipali regis in palatio Ninivitico eum ad finem asservatam fuisse, ut magistris et discipulis litteris ac studiis ibidem deditis usui esset. Permultae tabulae fictiles bibliothecae ut ita dicam libri sunt in usum scholarum editi, v. gr. libri grammatici, thesauri verborum, opera historica, alia. Unde apparet, Danielem jam a prima adolescentia sua omnibus in litteris multum proficere et munus suum amplissimum Deo adjuvante scienter postea administrare potuisse (Dan. 2, 48; 5, 29; 6, 1 sqq.). [55]) Tum hagiographi nostri relatio de statua aurea in planitie Dura constituta (Dan. 3, 1) nunc minus quam antea in dubitationem vocatur. Nam praeter Diodorum et Herodotum, qui primi de statuis Babylonicis verba fecerunt, [56]) complures inscriptiones cuneatae enarrant, reges Assyriorum in ipsorum et deorum honorem magna pretiosaque simulacra in urbibus et montibus, prope fontes fluminum et in litore maris, alibi exstruxisse. [57]) Immo ipsae statuae ab antiquitatis investigatoribus in ruinis Niniviticis et Babylonicis effossae sunt, [58]) ita ut jam nemo in dubio esse possit, quin in statuis ac simulacris formandis Assyrii magnas divitias consumpserint. Immensi autem thesauri auri, argenti, aliorum metallorum praestantium ex omnibus civitatibus expugnatis in Assyriam congesti erant. Planitiem Dura sociis expeditionis Francogallicae anno 1855 prope Babylonem recognoscere contigit, qua in regione multi incolae nomen illud vetustissimum adhuc in ore habent. [59]) — Postremo Assyriologi gratiam nostram merentur ea de causa, quod regem Belsazar, cujus in quinto libri Danielis capite mentio fit (Dan. 5, 1 sqq.), tempore exitii Babylonis urbis vixisse demonstrarunt. Non enim defuerunt, qui quum Herodotus aliique veteres historici eum inter reges Babylonicos non enumerent, Belsazar regem in vivis fuisse prorsus negaverint. [60]) Istam tamen in sententiam temerariam nemo facile nunc abibit, postquam annales Nabonidis regis cylindro fictili inscriptae inventae sunt, in quibus regis filius natu maximus nominatur *Bel-sar-usur* i. e. „Deus protegat regem", [61]) a qua voce nomen biblicum Belsazar omnino non differt. Sine dubio filius regis Babylonem urbem contra Persas defendere tunc jussus

---

53) Reuss, Geschichte des Alten Testamen's, § 468.
54) Lenormant apud Vigouroux, l. c. IV, p. 441.
55) Vigouroux, l. c. IV., p. 443.
56) Diodor. biblioth. hist. II., 915; Herod. I., 183.
57) Keilinschriftliche Bibliothek, I., p. 69. 87. 95. 99. 135. 143. 147. 155.
58) Layard, Ninive und seine Ueberreste, p. 218.
59) Oppert, Expédition en Mésopotamie I., p. 239 sq.
60) Hitzig, Das Buch Daniel, p. 73 sq.
61) Schrader, K. A. T., p. 433 sq.

erat, dum ipse Nabonid extra muros hostium impetum propellere conabatur. Unde facile intelligitur, quare et Nabonid a nonnullis scriptoribus ultimus rex Babyloniae appelletur et secundum S. Scripturam Belsazar, fine regni Babylonici jamjam instante, Danielis vaticinium illud (Mane, Thekel, Phares) acceperit (Dan. 5, 26 sqq.).[62]

Quid plura? Ex scrutationibus nostris supra institutis iterum atque iterum colligere potuistis, commilitones humanissimi, S. Scripturam et recentioris temporis studia imprimis studia Assyriaca inter se non discrepare sed optime concordare. Veteres Assyrii minime, utut quibusdam aliquamdiu visum est, in publicum denuo processerunt, ut canonem Veteris Testamenti destruerent simili modo, quo sacros Hierosolymorum muros quondam demoliti sunt;[63] qui potius sanctuarium S. Scripturae novo altoque vallo muniverunt necnon ejus veritatem et auctoritatem coram omnibus gentibus praedicarunt. Quapropter fidenti animo caveatis, commilitones, ne in posterum quoque clamore eorum qui libros sacros impugnare audent terreamini! Suo tempore Deus revelationi suae in libris canonicis depositae semper suscitabit defensores ac propugnatores invincibiles: etiam si homines „tacuerint, lapides clamabunt“ (Luc. 19, 40) necnon „lapis de pariete clamabit et lignum quod inter juncturas aedificiorum est respondebit“ (Hab. 2, 11)!

---

[62]) Cf. Kaulen, Einleitung in die hl. Schrift, § 390.
[63]) Cf. Neteler, Das Buch Isaias, p. 3.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Selecta capita Geneseos interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
II. S. Pauli apostoli epistolas ad Galatas et Ephesios exponet ter per hebd. hora VIII.
III. Introductionem generalem in libros Veteris et Novi Testamenti docebit horis definiendis.

Dr. Henric Oswald, P. P. O.

I. Praemissa introductione, de Deo ejusque attributis ac deinde de ss. Trinitate disputabit quater vel quinquies per hebd. hora X.
II. Repetitorium dogmaticum examinandi et disputandi causa instituet semel per hebd. hora X.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam medii aevi enarrabit quater per hebd. hora IX.
II. Historiam ecclesiasticam novissimi temporis bis per hebd. docebit hora IX.
III. De arte christiana disseret semel per hebd. hora definienda.

Dr. Jul. Marquardt, P. P. O.

I. Doctrinam moralem de virtutibus theologicis deque religione exponet, repetitiones et disputationes de gravissimis ethices christianae capitibus adjungens, sexies per hebd. hora XI.
II. Pauca de patrologia praefatus vitas et opera Patrum Apostolicorum tractabit hora definienda.

Dr. Ant. Kranich, P. P. E.

I. Primam partem Apologetices bis per hebd. tradet hora VII.
II. Eschatologiam horis definiendis tractabit.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Franc. Niedenzu, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Familias plantarum maxime notabiles illustrabit quater hebdomade hora VIII.
II. Exercitationes morphologicas moderabitur semel hebd. hora VIII.
III. Excursiones ad colligendas plantas semel instituet hebd. hora definienda.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. Inscriptiones graecas et latinas selectas interpretabitur ter hebdomade h. IX.
II. Aeschyli Prometheum vinctum interpretabitur bis hebd. h. IX.
III. De Tertulliani Apologetico exercitationes philologicas instituet h. d.

Dr. Jos. Krause, P. P. O.

I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebdomadem hora X.
II. Logicam et noëticam docebit ter per hebd. hora X.
III. Exercitationes paedagogicas moderabitur semel per hebd.

Dr. Joh. Uebinger.

I. Artem oratoriam tradet bis hebdomade hora VI.
II. De litteris philosophicis medii aevi disseret bis hebd. hora VI.
III. Exercitationes nec non repetitiones philosophicas continuabit bis hebd. hora VI.

Publica doctrinae subsidia.

I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
II. Apparatum arti christianae illustrandae inservientem custodit **Prof. Dr. Dittrich.**
III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt.**
IV. Instrumenta collectionesque, quae ad physicen, mathematicam, astronomiam et historiae naturalis disciplinas pertinent, asservat necnon horto botanico praeest **Prof. Dr. Niedenzu.**

Certamen literarium et praemia.

Renuntiatio judiciorum de certamine literario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in annum currentem propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum has proposuerat quaestiones:

I. Ex instituto regio: Ex libris Tertulliani et s. Cypriani de oratione doctrina eruatur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De decimarum in ecclesiis Germaniae et Warmiae usu ac lege.

De priore quaestione Ordini commentatio tradita est his inscripta verbis: „Continua oratione opus est, ne excidamus a regno coelesti.“ Cypr. de or. dom. 13.

Auctor hujus commentationis rem propositam diligenter scienterque absolvit. Ea quidem, quae de natura ac vi orationis dixit qualemque hanc esse oporteat, non magis ex Tertulliani et Cypriani quam theologorum nostrae aetatis methodo ac mente disposuisse et tractasse videtur; quae autem ex libris veterum scriptorum protulit ad antiquum morem et modum orandi, ad genera et partes orationis et publicae et privatae pertinentia, tam plene et commode explicavit, ut nihil fere desideres, nisi quod uberiorem expositionem orationis dominicae omisit Quapropter Ordo non dubitavit praemio eum coronare.

Schedula reclusa nomen prodiit:

Alphonsus Schulz, stud. theol.

De altera quaestione dissertatio Ordini oblata est his insignita verbis: „Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant?“ 1. Cor. IX, 13.

Decimarum in ecclesiis Germaniae usum ac legem auctor satis diligenter investigavit et exposuit, fontes rerum Warmiensium obiter tantum inspexit ac proinde nihil fere de harum decimarum initiis, perpauca de praesenti usu ac statu attulit, remque non ea qua decuit accuratione tractavit. Quare quum nonnisi ex parte muneri suo satisfecerit ac praeterea nunquam fere fontes, unde hausit, et auctores, quos secutus est, laudaverit, parte praemii eaque dimidia ab Ordine ornatus est.

Reclusa carta prodiit nomen:

Antonius Połomski, stud. theol.

Ordo Philosophorum hanc quaestionem proposuerat:

Historia artis antiquae breviter enarretur.

Una scriptio Ordini subjecta est his verbis insignita:

Im Fleiss kann dich die Biene meistern,
In der Geschicklichkeit ein Wurm dein Lehrer sein,
Dein Wissen theilest du mit vorgezog'nen Geistern,
Die Kunst, o Mensch, hast du allein.

Auctor quaestionem ita absolvit, ut a rerum tractatione vix quidquam desideretur. Scripsit plerumque emendate atque adeo eleganter. Quapropter Ordo praemium constitutum ei adjudicavit.

Rescissa schedula prodiit nomen auctoris:

Herm. Schomer, stud. theol.

In annum currentem Ordo Theologorum commilitonibus has quaestiones proposuit:

I. Ex instituto regio: S. Pauli apostoli de rebus die novissimo futuris doctrina exponatur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: Eruantur ex Hermae Pastore, quae ad poenitentiam pertinent.

Ordo Philosophorum hanc proposuit quaestionem:

Warmiensis formationes florae exponantur.

Certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto signatae ante diem Nativitatis Domini a. c. Rectori tradendae sunt.